

# PALAEASTRA LATINA

## S U M M A R I U M

- ANTONIUS MUSA, (J. Serrano)  
CONLOQUIUM IN SCHOLA.  
CURSUS GYMNASTICUS, (H. Martija).  
NOVA ET VETERA, (I. González).  
DE COMPARATIVO, (E. Jové).  
IN NUMMICUM, (C. Janicius)  
DE JOHANNE SANTOLIO POETA, (A. Avenarius)  
BIBLIOGRAPHIA, (González, J. M.<sup>a</sup> Mir, J.  
Prats, J. M. Giral, R. Pastó)  
EL GRAN LIBRO, (L. Marcus) in operculis.  
COMPOSITIONES VERTENDAE in operculis.  
EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.

**Ordinarii atque Superiorum permisu**

## *EL GRAN LIBRO*

(sigue)

*Basta la sombra con la luz mezclada,  
Basta el insecto que en el aire zumba,  
Basta la flor que nace abandonada  
Y se marchita al borde de una tumba.*

*Basta la yerba en el vergel nacida,  
Basta un arroyo que secunde el suelo,  
Una espiga de trigo bendecida,  
Un pedazo de selva, otro de cielo.*

*La Natura es el libro en que se admira  
La grandeza de Dios, do se halla escrito  
Ese poema que al mortal inspira  
El himno arrobador a lo infinito.*

*Su página más íntima y oscura  
Un rayo celestial de Dios refleja...  
Todo en el mundo tiene su hermosura,  
Menos aquél que de su amor se aleja.*

*Así, el manto flotante de los cielos  
Que Dios tendiera con su excelsa mano  
Se refleja, sin límites ni velos,  
En una gota como en un ocaeno*

MARTÍN GARCÍA MÉROU, (1862-1905)

## *LIBER SUMMUS*

Sufficit umbra nigrans luci permixta nitenti;  
Sufficit insectum levibus quod bombilat alis;  
Flosque remotis solus sufficit ortus in agris.  
Qui subito marcat tumulo dum nectitur atro.

Sufficit irriguo quae pascitur herba virecto;  
Rivulus aufugiens, glaebas dum pascit adustas;  
Numinis et donum, qua flavet campus arista;  
Silvarumque sinus, vel caeli fragmen aperti.

Est Natura liber digito conscriptus ab Altis  
Quo venerandi miratur caelestis imago  
Principis; hinc mortales ducere carmina amarunt  
Queis animi sacro rapiuntur ad aethera motu.

Vel minima illius quae pagina cumque latescit  
Mentibus Excelsi jaculatur lumina nostris.  
In mundo praebent divinum cuncta decorem.  
Haec neget unus: tanti Numinis orbus amore.

Id círculo tremulans patulumque per aethera velum,  
Quo rerum Dominus terrae circumdedit orbem,  
Cujus depictam claudat cum guttula formam,  
Clarius haud rutile, ponto si fulgeat amplio.

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.  
Villa Rosario in Argentina



ANNUS SCHOL. III. NUM. 26 1932-1933 MENSE MAJO MCMXXXIII

# PALAESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitanía, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España,

## ANTONIUS MUSA

Antonius Musa, libertus Tarragonensis, praestans arte medicus, lautis in Augustum meritis ab eo prae aliis dilectus fuit. Unus ex conditoribus exstitit scholae medicorum, qui priscam Alexandrinam sectam lacesserunt. Praeter non modicam artis medicae aptitudinem atque mentis acumen haud ita commune, uberrimam linguae facilitatem optimis aliorumque animos facultatem conciliandi adeo, ut in Maecenatis familiarissimis esset, cui opusculum etiam ultro dicarit. Horatius velut clari medici auctoritatem ejus adhibet in epistula 15 lib. I.. Apud Sueton. lib. II. cap. 59 legitur: «Medico Antonio Musae, cuius opera ex ancipi morbo convaluerat (Augustus), statuam aere conlato, juxta signum Aesculapii statuerunt». Atque in cap. 81: «Graves et periculosas valetudines per omnem vitam aliquot expertus est; praecipue Cantabria domita, cum etiam distillationibus, jecinore viatiato, ad desperationem redactus. Contrariam et ancipitem rationem medendi necessario subiit, quia calida fomenta non proderant, frigidis curare coactus, auctore Antonio Musa. Quasdam et anniversarias ac tempore certo recurrentes experiebatur. Nam sub natalem suum plerumque languebat, et initio veris praecordiorum inflammatione tentabatur; austrinis autem tempestatibus, gravedine. Quare quassato corpore, neque frigora neque aestus facile tolerabat». Venusta etiam praeconia Vergilius ei profuse consecrat in Calalec. XIII:

*Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,  
Tangere quas terras quosque videre homines;  
Dispeream, si te fuerit mihi carior alter:  
Alter enim quis te dulcior esse potest?  
Cui Venus ante alios, divi, divumque sorores,  
Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona;*

*Cuncta quibus gaudet Phoebi chorus, ipseque Phoebus:  
Doctior o quis te, Musa, fuisse potest?  
O quis te in terris loquitur jucundior uno?  
Clio tam certe candida non loquitur.  
Quare illud satis est si te permittis amari,  
Non contra ut sit amor mutuus inde mihi.*

Duo Musae opuscula supersunt: I *De tuenda valetudine ad Maecenatem libellus*; II *Compositiones medicae*, quae sunt qui esse subditicia credant. Apud Onomasticon Forcellinii haec reperiuntur: «Antonii Musae, qui Augusti Caesaris medicus fuit, fragmenta quae exstant, collegit Florianus Caldani-Bassani (non longe a Venetia) ann. 1800 - in 8.<sup>o</sup> Continuo opus verum autumans his verbis pergit: «Praeterea tributus est illi etiam libellus ad M. Agrippam *De herba bettonica*, qui nihilominus antiquus est, nam reperitur in Codic. M. S. Leindensi saeculi VI. Haec herba vettonica aut bettonica a Vettonibus cognita dicitur; sunt hi soli superioris et inferioris Carpetanorum montium incolae (praecipue nostrarum provinciarum Salmanticae et Castrorum Ceciliae (Salamanca y Cáceres). Hi montes vel potius montium series appellatur etiam Carpeto-Vettonica, unde illius herbae nomen; quae ab hoc porro apud meridei Gallos sicut in Italia est cognita.

Antonio Musae frater fuit, fortasse Tarragonensis, nomine Euphorbus, perillustris medicus Jubae, Mauritaniae regis, ut apud omnes constat, Pompeji tenacissimi sectatoris, de quo Plin. lib XXV, cap. 38 sic ait: «Invenit et patrum nostrorum aestate rex Juba herbam nymphaeam (vulgo «*higo de río*»), quam appellavit Euphorbiam, medici sui nomine, apud peritos vero *euphorbia resinifera*. Frater (Euphorbus) fuit Musae, a quo Divum Augustum conservatum indicavimus. Idem fratres instituere balineis frigida multa corpora adstringere. Antea non erat mos nisi calida tantum lavari, sicut apud Homerum etiam invenimus». Ambo fratres, Asclepiadis discipuli fuere. Is natus Prusiae, memorabilis Bithiniae urbis, retoricus atque praecipue medicus, Hippocratis aemulus exstitit aestimabilis.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> SERRANO

in Instituto Tarragonensi litterarum preeceptor.

## Conloquía in Schola

### INTER AMICOS

(FRANCISCUS ET GUSTAVUS)

F.—*Heus, mi Gustave, quam hercle sero me revisist!*

G.—*Volut equidem ad te venire prius, nec licuit tamen per negotia; ignoscet igitur, amice.*

F.—*Non est, cur tibi ignoscam. Ecquid rerum novarum adfers?*

G.—*Nihil novi vulgatur, quod sciam. Antonius tamen noster in schola castorum dux a praeceptore renuntiatus dicitur.*

F.—*Atn vera, amicorum optime?*

G.—*Quin immo, fama etiam serpit eum a disceptantibus in suffragiis longe victorem excessisse.*

F.—*Oh, Antonium victorem fuisse maxime volupe est!*

G.—*Atque vita inde illi comodior multo, fortunae optimae meritissimo.*

F.—*Gratiam habeo superis, quod illius tandem causae obsecundaverint!*

G.—*Atque ego laetor Antonii vicem, eamque semper gaudobo.*

F.—*Jamdiu equidem exspectabam et toto erat caelo manifestus ille rei felix eventus.*

G.—*Ego vero ante multos dies Antonium mirabar impensius libris adfixum, nullumque ab studendo tempus remittentem...*

F.—*Vin, igitur, eum una adeamus gratulandi causa? Comitatem certe multum amabit...*

G.—*Antea commodum eum salutatum accessi, quam ad te venirem; sed illum modo domo abiisse nuntiatum mihi est.*

F.—*Forsitan denuo se domum jam receperit; alias in viridario opperiemur, dulces seri auras carpendo.*

G.—*Eamus, igitur, Antonium salutatum.*

### ENTRE AMIGOS.

(FRANCISCO I GUSTAVO)

F.—¡Hola, Gustavo! Y ¡qué tarde me devuelves la visita!

G.—Te aseguro que quise venir antes, pero los negocios no lo han consentido; me dispensarás, pues, amigo.

F.—No hay de qué. Y ¿qué traes de nuevo?

G.—Nada nuevo se corre, que yo sepa. Con todo, se rumorea que Antonio ha ascendido a capitán en la escuela militar.

F.—Pero, ¿es verdad, amigo mío?

G.—Aún hay más; es fama que entre los contrincantes ha vencido por notable mayoría.

F.—¡Qué bien! ¡Me alegro en el alma que Antonio haya salido triunfante!

G.—Por lo mismo su vida será más holgada, mereciendo, como merecía, ser acariciado por la mejor suerte.

F.—¡Al cielo se den las gracias, que al fin ha atendido a su causa!

G.—Yo por mi parte me alegro y siempre me alegraré de la suerte de Antonio.

F.—Ya hace tiempo que lo esperaba, y este su feliz éxito era tan claro como la luz del mediodía.

G.—Y a mí ya hace bastantes días que me llamaba la atención el apego de Antonio a los libros, y que nunca dejase de estudiar...

F.—¿Vamos, pues, juntos a su casa para felicitarle? No podrá menos de apreciar la delicadeza...

G.—Precisamente antes de venir aquí me llegó a saludarle; pero me dijeron que hacía poco había salido.

F.—Tal vez habrá tornado a casa; si no, le aguardaremos en el jardín, respirando el apacible fresco de la tarde.

G.—Vamos, pues, a saludar a Antonio.

## CURSUS GIMNASTICUS

### QUARTA VERGILLI ECLOGA<sup>(1)</sup>

At simul heroum laudes et facta parentis  
Jam legere, et quae sit poteris cognoscere virtus:  
Molli paulatim flavesket campus arista,  
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,  
Et durae quercus sudabunt roscida mella.

30

*At simul...: Pergit Vergilius ubertatem naturae vividioribus coloribus depingere (v. 27-30).—Simul poteris: hisp. así que puedes.—Quae sit... virtus: interrogatio obliqua.—Flavesket campus arista... pendebit sentibus uva: sinecdoche, singularis pro plurali. Campus est planities inculta, cui adversatur ager, arvum; per paradoxam flavescent aristis demonstratur. Epitheta quam pulcra et poética patent.—Sudabunt mella: Castigatius in prosa oratione sudabunt melle, vel mel sudabit ex... Mella: soluto sermone vix adhibetur in plurali.*

Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,  
Quae temptare Thetin ratibus, quae cingere muris  
Oppida, quae jubeant telluri infindere sulcos.  
Alter erit tum Thiphys et altera quae vehat Argo  
Delectos heroas: erunt etiam altera bella

35

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

*Pauca tamen...: Aetas aurea cum aetate Pueri incrementum et perfectionem accipiet. In ortu pueri natura reflorescit: fundent cunabula flores; in adulescentia, terra fructus feret, aliquibus tamen aetatis ferreae manentibus vestigiis: priscae vestigia fraudis. Firmata pueri aetate, omnis feret omnia tellus.*

*Quae temptare: periphrasis seu locutio poética qua ostenditur homines iterum navigaturos, cupiditatis explenda gratia, aut belli inferendi.—Thetis: Nympharum marinorum mater; per synecdochem sumitur pro mari.—Quae jubeant temptare, infindere: i. e. quae homines compellant ut... Verba imperandi et similia subjunctivum potius quam infinitivum postulant, praeter jubeo.—Argo: navis illa qua, ut fabula refert, Jason cum multis proceribus (Argonautis) in Colchos navigavit pro aureo vellere; navis fabricator et gubernator fuit Tiphys.*

Hinc ubi jam firmata virum te fecerit aetas,  
Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus  
Mutavit merces; omnis feret omnia tellus.  
Non rastros patietur humus, non vinea falcem,  
Robustos quoque jam tauris juga solvet arator,  
Nec varios discribet mentiri lana colores.

40

(1) Cf. fasc. sup. p. 106

Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti  
 Murice, jam croceo mutabit vellera luto;  
 Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

45

*Hinc ubi jam..:* In hoc fragmento exemplar habes perfectissimum poësis descriptivae; cogitatus et imagines tanti vigoris sunt, ut dignis laudibus extolli non possint. Inanima, *pinus*, *lana*, *vitis*, personarum vices gerunt; vel ipsis herbis camporum humana sensa poëta concessit: *patietur*, *discret mentiri*, *sponte sua*. — *Firmata*: epithetum metonymicum quod tribuitur causae pro effectu. Sic proprio sermone se habet sensus: «ubi aetas te fecerit virum *firmatum*». — *Pinus*: pro navi; metonymia, qua materia rei pro re accipitur. — *Mentiri*: active invenitur in poëtis et in scriptoribus post aetatem classicam; raro apud classicos, ut in Sallustio: «Cujus consilio tantam rem esset mentitus». — *Aries mutabit vellera..:* «Traditur in libris Etruscorum, si hoc animal miro et insolito colore fuerit infectum, omnem rerum felicitatem Imperatori portendi» (Servius). — *Sandix*: *Scholia Bernensis* (in h. l.) asserunt esse genus herbae rubeae; Plinius vero opinatur id esse genus rubri coloris facticii, ac Vergilium corrigit eo quod herbam esse existimasset. At poëtae locus non ita intellegendus est ut agni sandice pascantur, sed ut pascentes lanam induturi sint coloris sandicis, sive ea sit planta sive pigmentum.

Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis,  
 Concordes stabili fatorum numine Parcae.  
 Adgredere o magnos, aderit jam tempus, honores.  
 Cara deum suboles, magnum Jovis incrementum.  
 Adspice convexo nutantem pondere mundum, 50  
 Terrasque tractusque maris caelumque profundum,  
 Adspice venturo laetentur ut omnia saeclo.

*Talia saecla..:* Ordo grammaticalis hic est: Parcae concordes stabili numine fatorum, dixerunt fusis: currite talia saecula. *Talia saecula*: accusativus qui dicitur cognatus, quia similis est significacionis ac verbum. Unde perperam Rueeus vocativum facit: o talia saecula, currite. In hac interpretatione sequor F. Walters et Cartault, nixus etiam illo textu Symmachi: «Et vere si fas est praesagio futura conjiceri, jam dudum aureum saeculum currunt fusa Parcarum». (De Laud. Grat. c. 11). Non hic agitur solum, ait A. Forbiger, de constructione *currere stadium, aequor*; Parcarum fusa non modo saecula currunt sed currendo efficiunt. — *Adgredere o magnos..:* Quis non miratur quinque sequentium versuum majestatem epicam? *Adgredere*: «Fac ut vitam tuam bonorum, id est, felicitatis quam aurea aetas praebet plenam ineas» (Krause). — *Jovis incrementum*: hic versus hexameter vocatur *spondaicus*, habens quartum pedem dactylum, quintum et sextum spondaeos; hunc Vergilius vel ad rei alicujus gravitatem et

amplitudinem, maerorem animique angorem, vel aliud simile declarandum usurpat.—*Laetentur*: Cartault (item Herrmann, Carcopino, Goelzer) legit *laetantur*, at legibus grammaticis melius aptatur subjunctivus causalitatis, hoc est regimen verbi *laetor* quod in accusativum, explicitis aut tacitis propositionibus *ob propter* converti potest.

O mihi tam longe maneat pars ultima vitae  
 Spiritus et quantum sat erit tua dicere facta.  
 Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus      55  
 Nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit  
 Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.  
 Pan etiam, Arcadia tecum si judice certet  
 Pan etiam, Arcadia dicat se judice victimum.

*O mihi...: Epiphonema et optatio.* — *Tam longe*: alii legunt *tum longe*. — *Tua dicere facta*: Non pauci interpretes hic vident adlusionem ad poëma epicum quod Vergilius jam *tum* scribere cupiebat; (cfr. Eccl. VIII, v. 7; et Georg. III, 26). — *Vincet*: vel *vincat*, ut modus potentialis: hyperbole. — *Orpheus*: celeberrimus poëta, qui cantu silvas, ut dicitur, movebat et saxa, fluviorum cursum prohibebat, ferasque reddebat mitiores. Ad hujus nominis numerum syllabarum quod attinet dissylabum est, sed potest esse etiam trisylabum, soluta diphtongo, praeter nominativum et vocativum qui semper dissyllabi inveniuntur. Vide tamen duo exempla contraria in *Culice*, v. 117 et 268, nisi spondaicum putas utrumque versum.


Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:      60  
 Matri longa decem tulerunt fastidia menses.  
 Incipe, parve puer: qui non risere parenti,  
 Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

*Incipe, parve puer*: hic versus suavissimum continet cogitatum, quem legenti in mentem veniunt illi persuaves etiam Catulli (Carm 61, v. 216): *Torquatus volo parvulus*—*Matris e gremio suae*—*Porrigenas teneras manus*—*Dulce rideat ad patrem*—*Semihante labello*.—*Risu*: ad puerum an ad matrem refertur? Primum magis placet propter v. 61; fastidiis maternis puer *risu* gratitudinis respondet.—*Tulerunt*: paenultima brevis, cum vulgo longa habeatur (cfr. *Palaest. Lat.* num. 24, pag. 81)—*Qui non risere parenti*: hemistichii lectio ex interpretatione verbi *risu* pendet; ita ut qui *risum* ad matrem referant, legere debeant *cui non risere parentes*. Ex his vero qui legunt *qui non risere*, alii vel parentes esse volunt in vocativo (Politianus) vel in accusativo (Scaliger) vel in dativo, quam lectionem cum optimis auctoribus, cum Quintiliano amplectimur. Auctor *Institutionum Oratoriuarum* qui Vergilii autographa viderat (I, 7. 19-20), in hoc loco agi de syllepsi adserit (IX, 3. 38), vi cuius *qui non risere idem est ac qui non risit*.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.



## NOVA ET VETERA



(Prosequitur)

II.—Oculos vero convertamus ad alteram jam picturam, plagulae hujus exordium, quae fasciculi anterioris quasi complementum erit et prosecutio. Nonnulla ibi memoratu certe digna delineata continentur, quae oculis lustrentur instrumenta altaris atque cultus christiani, quorum tibi nomina latine expressa protinus praebeo:

1 Semilunium	6 abacus	11 ostensorium	16 luminaria
2 hostorium	7 forfex	12 pluteus	17 sacra
3 crux	8 cochleare	13 corona	18 purificatorium
4 baculus	9 calix	14 campanula	19 candelabrum
5 lanx	10 ciborium	15 clava	20 capitellum

Ut facile ex hac nomenclatura ipse perspicies, lector curiose, antiquitatis quidem classicae voces una cum mediae vel infimae Latinitatis in eis mire consociantur ad res exprimendas, quae Ecclesiae linguae in usu veniunt. Id autem rei sermonis Latini praestantiae officere nullatenus aut debet aut potest, cum aetate progrediente usus, «quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi», aliter et aliter procedendum constituat, neque sit ratione mere historica considerandum nobis idioma.

Ex lectoribus non deerunt profecto, qui, quod num. 2 picturæ superioris converterim voce *hostorium*, admirantur. In lexico Latino certe vocabulum aptius non inveni, quo id instrumenti genus exprimerem, quod tamen cum re adlata vocabulum partim certe convenit. En tibi, confirmationis causa, quae de voce *hostorium* adfert princeps adhuc lexicographorum, clarus Forcellinius: «*Hostorium est lignum seu regula, qua modius aequatur et cumulus deruitur. Est autem ab hostire: aequa reddere, paria facere, tantumdem reddere.*». En igitur nominis instrumenti num. 2 insigniti ratio. Ceterae vero, quas supra innui voces, difficultatem, opinor, nullam objicient, et res et nomina cam in genere illis sint notissima, quibus potissimum proposui.

Nunc vero ad alia veniamus cum re hactenus agitata omnino non absimilia. Evidem fasciculum PALAESTRAE mensis Januarii anno 1930-31 respiciens, in quo diversas referebam de vocabulario ecclesiastico voces, tamen nomenclaturam inibi verborum, quae ad architecturam pertinerent, animo satis esse incompletam adverti. Cum ecclesia autem vel templum sit quasi omnium constructionum caput, quibus ars atque scientia architectonica intendit, ideo fore pretium operae duxi, eam si hoc loco completem. Sequentia igitur, complementi causa, vocabulis ibi adductis adjungito:

Abacus	colliciae	fenestra	mutulus	tegula
acroteria	corona	incumba	podium	torus
anaglypta	corsa	lacunar	pronaum	trabs
ancon	cymatium	laquearia	prostypa	trifolium
antepagmentum	deambulatorium	mentum	scapus	triglyphus
anterides	diazoma	metopa	stela	voluta
astragalus	erisma	moenia	stilobates	zoophorus

Hactenus de vocabulario ecclesiastico disserui, cui rei, ut nōn quidem est, impono finem. Id autem non impedit, quominus, si res aliquando ferat, materiam resumamus. Atque veniamus tandem ad explicandas res alias, quae cum voce prima hujus sectionis *Nova* magis convenire videantur. Itaque postremus hujus curriculi fasciculus, Deo favente, in sectione *Nova et vetera* de nonnullis ludis aget, quae maxime in usu veniunt. Quod quidem quasi ad remissionis animi corporisque aestivas per vacationes tempus praeparatio quaedam erit.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



### III. – De comparativo

**Non necessario ablativus sed omnino melius ponitur quam nominativus cum *quam*.** *a) Cum propositio est interrogativa.*

Exempla: Quid illis aedibus jucundius exspectabis? Estne nostra regione uberior usquam regio? Quid stultius senum avaritia? Numquid isto opere difficultus? Quis unquam orator Cicerone fuit facundior, quis eo eloquentior? Quid est in homine ratione divinius? Quid hoc victore moderatius esse potest? In humanis rebus quid patria potest esse carius? Numquid est virtute amabilius, vitio contemptius? Quid est vitae hominum libidine perniciosius?

*b) Cum propositio est negativa.*

Exempla: Oratione Laelii nihil est dulcior. Catone erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior. Risu inepto res ineptior nulla est. Nihil est virtute amabilius, nihil optatius. Belluarum nulla est elephanto prudentior. Lacrima nihil citius arescit. Quibus libris nihil potest esse dulcior. Amicitia tua nihil mihi jucundius. Libertate nihil certe est dulcior. Posterius et nequius isto nihil est. Legi conditionem tuam: nihil illa sapientius. Da operam ut valeas; hoc mihi gratius facere nihil potes.

*c) Cum inferior, posterior, superior sunt adjectiva comparativa.*

Exempla: Sapiens omnia inferiora virtute dicit. Virtus humanis casibus superior est. Utique semper patriae salus et dignitas posterior sua dominatione et domesticis commodis fuit. Ita vitam corpusque servato ut haec libertate posteriora ducas. Postiores cogitationes sapientiores solent esse prioribus. Hector robore corporis atque fortitudine inferior erat Achille.

*d) Cum primus comparationis terminus est in accusativo.*

Exempla: Munusculo tuo nihil mittere melius potuisti. Non tulit ullos haec civitas clariores P. Africano et C. Laelio. Haud facile quis dixerit hoc exemplo praestantius. Nihil te uno sol indignius vidit. Miserius stultitiae quid possumus dicere? Romani magis *Aliensi die Aliam* ipsam reformidabant. Quem auctorem locupletiorum Platone laudare possumus? Nihil vita antiquius existimo. Tuam vitam mea salute potiorem duco. Constat terram luna esse majorem. Qui nihil habet in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere. Ego hominem callidiorem vidi neminem Phormione. Vicinus tuus habet equum meliorem tuo.

Notandum quoque est saepe comparari qualitates duas inter se, ut unam p[re] alia subjecto convenire dicamus. Tum aut positiva forma ambas, addito potiori earum adverbio *magis*, aut utramque forma comparativa exprimemus.

Exempla: Ars magis magna quam difficilis. Orator acutior fuit quam ornatior. Magis audacter quam parate pugnaverunt hostes. Asia exercitus Romanorum divitiores quam fortiores faciebat. Romani bella quaedam fortius quam felicius gesserunt. Caesar milites vituperavit, quod in oppugnanda Gergovia audacius quam prudenter egissent. Haec magis accusatore quam libere dixisti. Aemilii contio fuit verior quam gratior populo. Paetus magis subtiliter quam dilucide disceptavit. Se temere magis quam satis caute in medium dimicationem intulit. Pestilentia minatior fuit quam perniciosior. Omnes cupiditates continere p[re]clarum magis quam

difficile est. Cicero in conjuratos acrius quam moderatius (magis acriter quam moderate) consuluit. Rixantes homines multa cupidius quam urbanius (magis cupide quam urbane) loquuntur. Nolite putare, judices, me odio inflammatum libentius quam verius (magis libenter quam vere) Clodium accusare. Non acrior quam pertinacior impetus Romanorum fuit. Hannibalem non fecerit ferocius quam consultius rem hostes gesturos.

Ponitur necessario *quam* (est, erat, fuit).

a) Cum primus comparationis terminus est in genitivo, dativo, ablativo:

Exempla: Fovendus nobis est amor virtutis, melioris quam aurum. Utor Caesare aequiore quam Pompejus. Haec verba sunt Varronis hominis doctioris quam (fuit) Claudius. Multis hominibus aciores oculi animi sunt quam corporis. Gratius et salubrissus est in ampla domo quam in parva casa habitare. Saepe periculosius est secundum litus navigare quam in alto (mare). A camelis graviora onera portantur quam ab asinis. Vobis notum est cur aestate dies longiores sint quam hieme. In terris callidioribus velut in Aegypto asini alacriores sunt quam in nostris regionibus. Pauci poetae majore laude celebrantur quam vos, Homere, et Horati.

b) Cum post *quam* sequitur verbum.

Exempla: Plura dixi quam volui. Pater meus emit domum prope dimidio carius quam aestimabat. Pompejus plura bella gessit quam legerunt ceteri.

Post *plus, amplius, minus*, sequente numero vel mensura ponitur vel omittitur *quam* et etiam redditur per ablativum:

Exempla: Ad Scultennam flumen cum hostibus dimicatum est; quindecim milia caesa, plus septingenti capti. Caeduntur passim Hispani per tota castra, nec plus quam quattuor millia hominum effugerunt. Amplius horis sex continenter pugnatum est. Acies hostium aberat paulo plus quingentos passus. Ab neutra parte sexcentis plus peditibus cecidit. In eo proelio minus quinque millia occisa, minus dimidium captum est. Roscius nunquam plus triduo Romae fuit. Minus tribus medimnis nemo dedit.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

## IN NUMMICUM

*Quod tibi nunc adflat facilis fortuna tumescis  
Et prae te dicis quemlibet esse nihil;  
Insultasque bonis, tenues contemnis et urges  
Hei! miser, hei! sortis non memor ipse tuae!  
Non semper quod es, illud eris; ventura memento!  
Nec semper, quod ego sum modo, forsitan ero.*

CLEMENS JANICIUS

## De Johanne Santolio poëta<sup>(1)</sup>

Quorum ut primum percrebuit fama, Santolius tum annos natus sexaginta tres, multorum movit indignationem. Jouvanei, Jesuita, collegii Parisiensis magister, poëtam monuit de communi versuum, inprimis secundi, offensione. Tum negavit hic se eos scripsisse versus. Quod genus effugii cum nulli probaretur et ab omnibus postularetur, publice ut isti versus retractarentur, Santolius, ne adeo se demittere cogeretur, ad Jouvaneum poëticam epistulam dedit perhonorificis conceptam verbis, qua et doctrinam Jesuitarum dilaudat et affirmat illis verbis, quae essent 'hôte triumphato' notari a se libros ab Arnaldo contra Calvinianos editos. Quo augurio, quamquam principio in breve tempus animorum motus sedari videbatur, tamen postea poëtae monstratum est non societatem Jesu illis versibus, sed regem, sed summum Pontificem traduci. Tum Santolius tantum crimen a se deprecans propter interdictum pontificium addidit:

*Ictus illo fulmine (excommunicatione videlicet)  
Trabeate doctor, jam mibi non amplius  
Arnalte, saperes.*

Displicuit vocis ambiguitas postulatumque a poëta est ut illud 'saperes' mutaret in 'sapias'. Postremo Santolius sibi videbatur incommoda declinare posse, si in illis exemplis, quae in Jesuitarum manus essent ventura, posuisset 'sapias,' in reliquis retento hoc 'saperes'.

Sed sic Charybdim vitans in Scyllam inciderat. Nam quis contentus esset ambagibus? Publice peti coepitus est versibus. Ex Jansenistis Rollinus, historicus, 'Santolum paenitentem' edidit, quo carmine poëtae irridet inconstantiam. Quidam alio carmine Santolium a Belgis suspendi facit. Neque Jesuitae tacuerunt. Inprimis acerbum Santolio «linguarium Commirii». Qui Commirius sacerdos Soc. Jesu et poëta non spernendus natus erat Ambessii, in finibus Turonum, anno 1625. Mortuus est anno 1702. Is sic habet:

*Haec tibi dolebit assentatio  
Nam quot creavit et creat molestias  
Fatale carmen, quod nolles tuum!  
Ais, negas, fateris, excusas scelus...  
Hinc asper ille risus et amari sales  
Urbisque de te. Fastidi comoediae  
Cessare quae si dicupis, sile et sape.*

Sed paulatim ea quoque res composita est, et Santolius cum adversariis rediit in gratiam.

Et jam saepe tentatum erat revocare ad leges artis poëtice illos hymnos, quibus in liturgia utitur Ecclesia. Nimium quidem, qui humanistae vocantur, affir-

(1) Confer mun. sup. p. 102.

mabant «grammaticae leges plerumque Ecclesiam spernere», nimis fere illi cupidi erant hymnorum, quorum forma et lingua accommodaretur rerum magnitudini. Reversa quaedam in sacra carmina irreverent inconcinna, salebrossa, hiulca, illepidata, neque mirum esse potest illa elegantiarum aetate etiam hymnorum emendationem postulatam esse. Tantum igitur opus efficere pro ecclesia monachorum Cluniacensium et pro ecclesia Parisiensi impositum Santolio est. Sibi recepit negotium summa voluntate, Claudi, fratrī—nam ad hunc res primum delata erat—et horatu primiorum virorum et Bossueti episcopi. Tum profanam Musam missam fecit et *toto* ingenii ardore ad novam provinciam se convertit:

*Tum mibi quam viles, Parnassi numina, Musae  
Omnia vindicibus devovi carmina flammis.*

Et tam sublimis ei videtur hymnorum effectio, ut Angelorum alis deripendam esse putet qua seribantur sanctorum laudes, pennam.

*Aula tota Caelitum  
Sibi me reposcit ac poētam vindicat  
Offertque pennam, quam putem avulsam sacrī  
Pennigerum ab umeris.*

Non igitur ludebat multorum more litteratorum, sed verum thesaurum reponerat posteris, cum sacra pangebat carmina. Nemo aliis tam artificiose tamque varie canat sanctorum choros. Rem eandem solet binis vel ternis hymnis et mutato metro referre. «Verissimi», inquit Driaux in historia litterarum Latinarum, «verissimi ingenii fuit semper tenere animos legentium, interdum eosdem movere, ab laudis forma transire ad preces, admiscere praecepta». Quae quam vere dicantur disce exemplis. De Ecclesiae doctoribus ille sic canit:

*O qui perpetuus nos monitor doces.  
Vox aeterna Patris, Christe, vicarios  
Doctores, patrias cum remeas domos  
Nobis quam bene suppetis!  
Hi semper vigilant, ne quid adulterum  
Corrumpat fidei virgineum decus:  
Laedi vel leviter non patitur fides,  
His custodibus integra.  
Infames abolent reliquias deum,  
Errores abigunt, crimina dedocent,  
Christo restituunt, quos male credulos  
Mendax luserat haeresis.  
Patrum canitiem, tot venerabiles  
Rugas objicient unde nitet Fides;  
Quae sunt prisca docent, quae nova subruunt.  
Servant depositum Dei.*

*Sit suprema tibi gloria, Veritas,  
Quae per scripta patrum quando foris sonas,  
Nullo vocis egens, corda doces sono  
Et te mentibus inseris.*

Quam pulchre propositum monachorum his strophis expressit:

*Felices nemorum pangimus incolas,  
Certo consilio quos Deus abdidit,  
Ne contagio saeculi  
Mores laederet integros.  
Ut te possideant, quem sitiunt, Deum,  
Urbes, regna, suos, se quoque deserunt  
Totus veluit orbis,  
Dum caelestia cogitant.  
Nudi, prompti, alacres, liberi ab omnibus  
Ad luctam pugiles ociosi advolant:  
Ut vastum mare tranent  
Prudentes onus exuunt.  
Aeternas ut opes certaque gaudia  
Securi rapiant, omnia ludicra  
Sano pectore temnunt  
Confisi melioribus.  
Illis summa fuit gloria despici,  
Illis divitiae pauperiem pati,  
Illis summa voluptas  
Lento suppicio mori.  
Fac nos, summe Deus, quae patimur mala  
In poenam scelerum ferre libentius,  
Et tellure relicta  
Immortalia quaerere.  
Aeternus sit bonos ingenito Patri  
Sit par unigenae gloria Filio  
Sacri nexus amoris  
Laus compar, tibi, Spiritus.*

Inter hymnos Virginum martyrum hae excellunt strophae:

*Quid sacra Virgo, generosa martyr,  
Ambiunt frontem duplices eorona?  
Nempe non unum gemino reportas  
Hoste triumphum.  
Mollior fregit neque te voluptas  
Impotens flexit neque te tyrannus:  
Tu graves poenas pariterque blandos  
Vincis amores.*

*Liliis Sponsus recubat rosisque  
Tu tuo semper bene fida Sponso  
Et rosas martyr simul et dedisti  
Lilia virgo.*

In prima tamen stropha haud scio an qui exscripsit, mutaverit. Neque enim credo Santolum producendam brevem syllabam tertiam posuisse. Non igitur fuisse *Quid sacra Virgo sed fortase Sacra quid Virgo.*

Et haec quidem communia Sanctorum sunt carmina. Praeterea scripsit multa Sanctis singulis et de magnis anni festis tanta ingenii fecunditate ut nemo possit non mirari.

Franciscum Salesium praecipuo habet honore. Quam scite hujus scripta celebrat his sapphicis strophis:

*Insidens castis amor in libellis  
Igneis figit pia corda telis  
Hic Dei purum bibt ore puro  
Lector amorem.  
Gliscit in mentem meditantis illa,  
Quae beat Divos, eadem voluptas:  
Hinc inardescunt liquefacta blandis  
Pectora flammis.*

Mysterium Purificationis Virginis Deiparae admirabilibus comprehendit alcaicis strophis.

*Stupete gentes: Fit Deus hostia  
Se sponte legi legifer obligat:  
Orbis Redemptor nunc redemptus;  
Seque piat sine labe mater.  
De more matrum Virgo puerpera  
Templo statutos abstinuit dies.  
Intrare sanctum quid pavebas  
Facta Dei prius ipsa templum?  
Ara sub una se vovet hostia  
Triplex honorem virgineum immolat  
Virgo sacerdos, parva mollis  
Membra Puer, seniorque vitam  
Christus futurum corpus adhuc tener  
Praeludit infans victimam funeri  
Crescit, profuso vir cruento  
Omne scelus moriens piabit.*

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

(Continuabitur)

## Bibliographia

**P. Altenhoven.**—*Petit Traité des synonymes latins.*—Ad. Wesmael-Charlier, Rue de Fer, 81, Namur.

*Tertium nuperrime prelo subiit hic libellus in dies locupletior et adcuratior. Quod ipse titulus innuit, talis auctoris scopus: nonnulla ex innumeris rariisque synonymis congerere, quae alumnis maxime ad compositionem Latinam inserviant. Constat libellus 196 articulis rite concinnatis. Post trium editionum praefationes, duplex vocabularium earum dictionum inseritur, quae exstant in opusculo, Gallicum et Latinum, 19 pagellis absolutum. A plagula autem 25 ad 112 uno tenore Latina synonyrna succedunt. Notitia vocum etymologica saepe alumno facem in significatione extricanda praefert, neque plerumque deest mensurae syllabarum expressio. Nobis tamen penitus non liquet, cur, exempli gratia, adferatur mensura in voce res (art. 27), rus (art. 32), et minime in per (art. 33), mos (art. 73). Praeterea id genus verborum mensurae in iis opusculis expressio certe nonnullis non probetur. Articulus tandem 26 refert: malus (a longum) et malitia (a breve), quod typographo sane adscriendum, non aliter ac nobilis cum prima vocali brevi (art. 119), et niger cum prima longa (art. 120), et praelium (art. 103) loco proelium. Libellus ceterum commendandus alumnis Latinitatis atque iis, qui satagunt de recta scriptione Latina evulganda.*

**P. Vicente Gracia, S. J.**—*Método analítico comparativo de Lengua Latina.*  
Librería Cat. Casals; Calle Caspe, 108,  
Barcelona (España).

*Habent jam lectores humanissimi perutilis hujus ad studium linguae Latinae roluminis notitiam ex prospectu, quem eis una cum superiore fasciculo misimus. Nostro autem in Commentario ne desideretur ejus commendatio, has paene jam supervacaneas lineas dedendas curavi nostratisbus potissimum linguae Ciceronis et Vergili*

*cultoribus. Duos ego progressus, ultraque plaudendos manu, animo in hoc libro adverti: cum quamdam philologiae hodiernae et aestimationem et usum, tum methodi adhibitionem linguarum recentium tradendarum rationi admodum conformem. Atque haec, si quid mei judicii est, quasi duae esse debent viae ad evulgandam et stabiliter et jucunde in adolescentium animis Latinitatem. Liber tandem P. Gracia, S. J., quidquid dicunt de religiosorum obscurantismo, maximo opere conferet, ut lingua Latina magis et magis in studio sit.*

1. GONZALEZ, C. M. F.

**Albert Bazouin.**—*Les Textes latins.*  
Classe de première.—Hachette.

*Hoc nuper in lucem editum opus, priorum voluminum complementum est, ab ipso Latinitatis professorejam pridem editorum. Nobis quidem opus in suo genere perfectum videtur: pulcra enim oculis externa ratio; typorum varietas adest et adcurata interpunctio, ut facilior alumnis lectio evadat; neque inlustratio deest photographica et nonnullarum adjectio tabularum geographicarum Romanae antiquitatis. Quod vero maxime ad rem confert, claritas in toto opere effulget, et diligentia in notulis, translationibus, explicationibus grammaticis et historicis exarandis. Praeterea alumno emolumento erunt in sermone Latino aucupando ea, quae auctor singulari aequitate et judicio in medium profert de vita et operibus auctorum: Catulli, Ciceronis, Vergili, Horatii, Tibulli...*

**Jean Bousin.**—*Anthologie de Poètes.*—  
Librairie Hatier.

*Hujus opusculi scopus alias certe non est, quam alumnis, qui primum linguae Latinae incumbunt minorum poëtarum excerpta proponere aliqua, ut ii pulcritudinem horum in dicendo poëtarum facilius arripere valeant. Accomoda sane sunt themata ab auctore selecta et juxta optimos codices recognita, atque ea notulis historicis, grammaticis, rhetoricas instructa. Poë-*

*tae vero, qui alumnorum mentibus delibandi praebentur, sunt: Catullus, Tibullus Propertius, Ovidius, Lucanus, Persius, Statius, Martialis, Juvenalis, Claudianus.*

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

**Ciceron.**—*De L'Orateur.* — Texte établi, traduit et annoté par François Richard.—Garnier Frères, Paris.

*Magnis laudibus non afficere hanc novam operis Ciceronianii editionem non possumus, quae merito efficiet, ut cognitio linguae Latinae longe lateque diffundatur. Lector ut plane vim sermonis calleat, consulto textui praeponitur brevis introductio analytica-historica, atque variis notis adpositis, tisque doctrina eruditioneque referatis, lectio passim illustratur. Qua quidem ratione auctor in textus lectione stabienda ductus sit, non dicit. Colligere tamen licet, auctorem in singulis casibus probabiliorem lectionem ex diversis criticis editionibus sumpsisse. Versio autem Gallica Latino textui adjuncta, quatenus argumentum et natura sermonis patiuntur, proprietate, virore, suavitate insignitur.*

J. PRATS, C. M. F.

**Ciceron.**—*De L'Invention.*—Traduction par Henri Bornecque.—Garnier Frères, 6, Rue des Sts.-Pères 6, Paris.

*Nuperrime edita est translatio Gallica Ciceronianii operis De Inventione, quam calamus Henrici Bornecque, in Universitate Lillensi professoris, elaboravit. Prosequitur nempe hoc volumen Conlectionem classicorum Latinorum Editorialis Garnier, de litteris Gallicis adeo bene merita. Huic M. Tullii libro qualis hac in editione titulus non fuit impositus, in manuscriptis cum aliter et aliter inscribatur. A recentioribus vero editoribus liber communiter Rhetorica vel Rhetorici libri duo nuncupatur. Titulus tamen De Inventione recte cum materia inibi ab Oratore Romano, primis suaे vitae litterariae diebus pertracta, congruit. Alicubi haec translatio si ita lucida non adparebit, id prae primis Latini textus obscuritati vertendum putamus.*

**M. Tullio. Cicerone**—*De Finibus Bonorum et Malorum, commentati da Umberto Moricca. Libri I-II.*—Torino, Giovanni Chiantore.

*Nova haec De Finibus commentatio apud Italos edita, magni quidem momenti est ad mentem sermonemque Principis Latinorum scriptorum intellegendum. Longa commentario antecedit introductio (pag. V-LIX), in quibus agitur de vita Ciceronis, atque ejus scripta obiter dignoscuntur. Postea disseritur subtilius de momento et scientia libri De Finibus; de historicis et politicis adjunctis, in quibus scriptus est; de materia in primo et secundo libro contenta; de expositione et critica systematis Epicuri... Commentatio vero abundans est et adcurata ac longe majorem libri partem amplectitur, qui ducentis in octavo pagellis constat.*

**Rem. Sabbadini.**—*P. Vergili Maronis Aeneidos lib. I-XII.*—In Aedibus Io. Bapt. Paraviae et Sociorum, Aug. Taurinorum.

*In multis et variis adhuc Aeneidos editionibus eminentem locum tenet ea, quam nuper Rem. Sabbadini recensuit, praefatus est, critica appendice ornavit. Primis in praefationis versibus finis operis indigitatur: «Vergili Aeneida emissurus non id spectavi ut editionem paene dixerim dociam pararem, sed eam qua litterarum antiquarum studiosi fidenter uterentur». Id quod re vera obtinuit auctor. Continuo vero praecipuorum codicum Vergilianorum (A. G. V. P. R. F. M.) brevem notitiam proponit, ex quibus in hac confienda editione codicibus F et M maximam auctoritate tribuendam censuit. Quattuor autem scitis libellis totum Aeneidos opus comprehenduntur, singulis ternos libros includentibus. In libellorum fine appendix critica adparet, quae diversas codicum lectiones excutit. Index tandem nominum, qui in novissimo libello additur, studiosis Vergilianii operis, maxime quidem inserviet.*

J. M. GIRAL, C. M. F.

**UNA BIBLIOTECA CIRCULANTE.**—Que manda en préstamo a lectores de toda España libros, revistas y piezas musicales, facilitándoles además su adquisición.

*Su especial y único franqueo concertado para todo el circuito de lectores de cada revista circulante fué expresamente autorizado por la Dirección Gral. de Correos (D. O. D. 9-V-1932)*

Por 3 pts. enviadas por giro postal o en sellos, recibirá su catálogo-reglamento y suplemento (274 págs.) y tendrá ya satisfecha su cuota de ingreso para el día que se inscriba lector.

La cuota anual de lector es de 7 pts., pago anticipado.

*La petición de préstamo o compra de los libros examinados en la Bibliografía del número de Abril del cte. año puede hacerse indicando solamente sus números de registro en la Biblioteca: Linderbauer 3713, Oestlender 3714, Schmitt, Soiron 3716.*

**Biblioteca «Antonio Agustín» Apartado 31. – Tarragona**

## Compositiones Vertendae

### Duo canes marini (humanus et bellua) et Graculus

Canis marini nomen apte (1) est inditum  
Confestim (2) fortunatis, qui, ex humili loco, (3)  
Divitias compararunt, (4) cum tamen foret  
Relligio (5) illis nulla, bonis an (6) malis suam  
Rem (7) augerent artibus. Appellari (8) et conspici  
Volunt cum procerum numero: sunt quibus pudor  
Non est avorum genus et laudes (9) fingere.  
Ex istis quidam, jam fervente Sirio, (10)  
Maris Tyrheni litus abditum petens,  
Ivit lavatum, (11) quo tractu (12) ingentissima  
Prius fuerat inspecta marina bellua.  
Aquis refrigeratur, (13) sed subito (14) metu  
Pressus: (15) Me miserum, dicit, si adsit (16) canis atrox!  
Fugamque cogitanti (17) clamat graculus,  
Qui voces queru audiverat de proxima:  
Canem, parce metu, (18) nusquam devorat canis.

ROCCI, S. J.

### Notulae

- (1) Muy bien. (2) Improvisadamente.  
(3) Condición. (4) Acaparar. (5) Escrupulo. (6) De si. (7) Hacienda. (8) Tratar. (9) Linaje y glorias. (10) En lo más caluroso del verano. (11) Fué a tomar baños. (12) En el cual sitio. (13) Refrescarse. (14) Súbitamente. (15) Sobrecogido de espanto. (16) Si se presenta. (17) Pensando en escaparse le... (18) No hayas miedo: *metu* in dativo casu *pro metui*, qui non est infrequens in nominibus quartae declinationis.

### El verdadero amigo es un gran tesoro

Un joven guerrero (1) de nación persa, acababa de cubrirse (2) de gloria (3) gracias principalmente al vigor y a la destreza (4) de su caballo. Ciro le preguntó si quería cambiar aquel caballo por una provincia de su reino. «No, señor—contestó el joven—pero si lo cambiaría por un verdadero amigo, si V. pudiera encontrármelo».

**Notulae.**—(1) Bellator. (2) Modo se honestare. (3) Laus militaris. (4) Industria. (5) Inquit.

## Exercitationes Scholares

### El caballo de combate y el caballo de campo

(Ann. III, num. 24)

*La mudanza suele engañar por lo común a los menos preavidos.* En el campo de Florencia se había comenzado a requisar caballos, porque era ya inminente una encarnizada guerra. Los que hacían la requisita respetaron los caballos de cierto labrador, cuya modesta fortuna les hizo entender que de sus pocos bienes nada podía cercenarse. Prestaban servicios a su amo dos caballos, iguales en la edad y en el ardor de la juventud. El más ligero de cascós quiso hacerse caballo de guerra, e indicó el proyecto a su compañero diciéndole: Ya me hastío de nuestra deplorable vida; ya estoy harto de tanto trabajo; llevar esas cargas, a veces nada honrosas, ¡oh qué vergonzoso! Mayor honor es llevar sobre nuestro lomo a un ágil y valiente militar, acometer a terribles enemigos, disfrutar constantemente de la preclara gloria de los vencedores. Et otro no quiso seguirle y prefirió la vida del campo. Entonces aquél se asocia a los requisados, brincando e irguiendo su orgullosa cerviz. Cumplido su anhelo es conducido enseguida al campamento. Se traba batalla: el nuevo caballo de guerra, mal trecho de mortal herida, cae en tierra miserablemente. Sintiendo su adversa suerte, muere exclamando: ¡Dichoso compañero, oh campos, oh florecientes huertos, en mala hora, necio de mí, os abandoné!

A. CAMPEDO

*Oniati in Guipúzcoa.*

### A dicto factum...<sup>(1)</sup>

I

Ariosti domus philosophi ingenuitatem referebat. Quondam eum interrogaverunt, quidni splendidiorem fecisset eam, qui descripsisset in suo opere *Rolando tot regias aulas, porticus specio-*

*sas et jucundos fontes. Ille respondit: «Citius et facilius veniunt ad conloquium verba, quam ad domi aedificationem congeruntur lapides».*

VICTORIUS HERRÁEZ PÉREZ  
*Seminarii Abulensis alumnus.*

II

Ingenuitatem philosophi domus Ariosti referebat. Interrogatus quondam, cur non aedificasset eam magnificentiorem, qui in suo *Rolando tot splendidas aulas regias, tam pulcas porticus placidosque fontes descripsisset*, respondit ille: «Verba citius quam lapides, facilis que congregantur.»

RUFINUS GIL

*Oniati in Guipúzcoa.*

III

Domus Ariosti philosophi ingenuitatem referebat. Quondam est interrogatus, quare eam magnificentiorem non fecisset, qui in *Rolando suo tot descripsisset sumptuosas aulas regias, tot porticus pulcherrimas, fontesque placidos. Cui ille: «Citius et majore cum facilitate quam lapides, verba congregantur».*

EUSEBIUS LÓPEZ  
*Seminarii Barbastrensis alumnus.*

### Gaudium in scientia

(Ann. III, n. 21)

Doctrina Archimedis sola mathesi definita non erat. Quidam argentarius cum cuprum auro conflasset in quadam regis corona, quae ex auro solido constare debet, reperit arcanum ad id tempus ignotum et hodie perquam facile deprehendendi fraudem. Tantam voluptatem ex eo accepisse dicitur qui, nudum esse non advertens animo, balneis subito exierit clamitans. reperi: heureka!

VICTOR MAXIMUS MICHELA  
*Villae Rosarii in Republica Argentina.*

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.  
Moderator

Typographia F. Camps Calmet — Tarregae.

(1) A dicto factum longo discrimine distat.